



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Rvdolfvs I. Ex Comitibvs Rapersvillae Abbas Heremi Nonvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



RVDOLFVS I. EX
COMITIBVS RAPERVS.
VILLAE ABBAS HERE-
MI NONVS.

HABEBAT RVDOLFVS abbas ex Vdalrico fra-
tre nepotem Rudolfum, qui Rapersvillam Ve-
terem incolebat. Ea sita est sinistra laci Tigurini
ripâ, vbi ferme in eum Limagus influit. Nunc
ab Diui Ioannis sacello nominant. Quod id ex opidi ruinis
solum permaneat. Veterem ad Nouæ differentiam. Nouæ
vero condendæ hoc ipso tempore talem fuisse occasionem
ferunt. Tenebat Comes Rudolfus, abbatis nostri, vt dixi-
mus, nepos, amplas vtraque & laci, & Limagi ripâ opes, Co-
mitatus scilicet duos Rapersvillanum, de quo agimus, vallē

Vegi, Marcamq; illi coniunctas sinistro laci margine: at vero dextro, Comitatum Vtznacensem, Vltre, Griffense, alia. Habebat vero præterea Rudolfus vxorem formâ, elegantiaque per quam eximiam, ceterum libidine incensâ, & infatigabili. Eius ipse amore vecors nihil tamen dici, nihil audire volebat, quod quacumque eam secius attingere posset. Et idem sæpe per bellorum occasiones, aliasque domo aberat, coniuge interim per omne voluptatis genus volutabundâ, & præcipiti. Id postremo Curator rei familiaris non ultra tolerandum ratus ad Comitem per commoditatem accessit, rem maximi momenti, si aures adhibeat, indicaturus. Comes, tamquam re inopinâ, exterritus, quæcumque ferat auditurum annuit, de vxore modo nihil aduersum miscat, cuius illecebris, & venustate ita captus, & vinctus sit, vt eius solo intuitu omnem animi ægritudinem exspuere soleat. Hac lege acceptâ, facile intellexit Curator destinato abstinendum, & frustra id se secretum petisse. Igitur cogitatione, & sermone in alia omnia versis. Imo verò, inquit, longè aliud est, quod in animo verso, tibi honori, & nomini, emolumentoque singulari, subditis præsidio, & refugio, totique postremò regioni ornamento, & splendori futurum. Ultra, inquit, lacum vicus Endinga est, quem veluti in peninsulam lacus circumambit. Supra colliculus leni dorso assurgit. Vtrumque situ amœno, & delectabili, & si firmamentum addas, etiam inexpugnabili. Id fiet si collem arce occupes, inferiora in opidum formes. Magnæ eo vtraque ex ripâ commoditates confluent, mercatum quoque, si lubet, instituere poteris, & tamquam totius prouinciæ emporium. Profectò nemo ijs quibus ipse es opibus locum talem negligeret. His auditis Rudolfus lacum præteruectus, quæ ex curatore acceperat, vt in re præsentis dispiceret, consilium, & situm maximopere probauit. Igitur anno millesimo nonagesimo primo arcem in eodem colle constituit, mox Endingam, & circumjecta mœnibus, & fossis circumvenit, opidumque Rapersvillam nouam nobile, & iucundum, Rudolfi abbatis patris auctoritate, & permissu, à cuius Mona-

A. D. X.

CIX.
XCI.

sterio, ipse

sterio, ipse collis, & lacui, eâ parte, vicina omnia titulo fiduciario à Comite possidebantur, ex vico exiguo condidit, & optimo cuique habitandum dedit. Id opidum, mortuis antiquis Raperfvillæ Comitibus, ad Comites Habsburgios Lauffenbergæ dominos matrimonio peruenit. Ab his, pecuniâ datâ, ad Principes Austriacos, fuitque prope extremū eorum quæ ipsi in Heluetia possedere. Anno millesimo nonagesimo secundo Henricus Imper. Cunradum ex Beretâ filium parti Italiæ, regio nomine, præfecit, egregiæ virtutis, & probitatis iuuenem, & qui summo opere ab patris tyrannide abhorrebat. Quâ postremo nimis offensus, uti & alijs eiusdem flagitijs, ad Vrbanum, & Catholicorum partes transijt anno sequenti, & excommunicatione absolutus, ex Pontificis auctoritate, regnum se habiturum promisit. Vigebat eâ tempestate pestilentia hominum, & pecudum, tantâ cæli grauitate, ut aues etiam pleræquæ moribundæ humi conciderent, & ea plures annos tenuit. Secutæ sunt anno præcipuè millesimo nonagesimo quarto, crebræ inundationes quæ cuncta planiora incredibili vastitate peruerunt. Multa præterea multis locis portenta, & monstra fuere. Stellæ medio die cadere visæ, acies etiam concurrere. Terræ motus insolentes, & crebri, qui arces plures, & opida nonnulla subruerunt, tecta, & campestria discessu deglutierunt, mortalesque ruinâ ædificiorum peremerunt. Sed, eadem de causa, non pauci, relictis Imperatoris partibus, ad Catholicos, & Vrbanum transiere, qui licet maximam primorum Italiæ partem in officio, & obsequio habebat, tamen, præsentem cum copijs Henrico, haut suas opes pares ratus in Galliam transijt, & Claro monte frequens concilium celebrauit. Vbi cum Henricum, & Clementem, eorumque sectatores nouis anathematis adfecisset: Philippum quoque Galliæ regem, quia viuente primâ coniuge, aliam induxerat, communionem piorum submouisset, & postea ad satisfaciendum adduxisset, multa, præcipuè in Ecclesia Gallicana, emendasset, omnes Ecclesiasticos, qui dignitates suas, & munera à laicis accipiant, damnasset, postremò clarâ, & me-

A. D. N.

CIX.
XCII.

A. D. N.

CIX.
XCIII.

A. D. N.

CIX.
XCIV.

A. D. N.
CID.
XCX.

A. D. N.
CID.
XCXI.

A. D. N.
CID.
XCXII.

A. D. N.
CID.
XCXIII.

A. D. N.
CID.
XCXIX.

morabili oratione sacram expeditionem contra Saracenos, & infideles persuasit, anno millesimo nonagesimo quinto. Qui secutus est annus totus ferè per vniuersum Occidentem in adparatu belli facti consumtus. Iudæi, eodem tempore, tamquam Christiani nominis hostes, vndique etiam interfecti, aut ad Christianismum compulsi, præcipuè in Gallia, Anglia, Hispania, Hibernia, Scotia. In Germania ferme vim ab ijs Henricus prohibuit. Cruce signati tandem anno millesimo nonagesimo septimo, diuersis itineribus, Hugone Magno regis Philippi fratre, & Gotfrido Bulionio præcipuis ducibus, Bohemundo quoque Apuliæ principe, terrâ, marique, ita vt omnes oras, portusque completerent, in Asiam traiecerunt. Bithyniæ Nicæam mense Iulio ceperunt, Antiochiam Syriæ Octobri obsederunt. Sunt qui fuisse hominum millia sexcenta memorant. Henricus Imp. nullâ prope in Italia tanto tempore gestâ re, eodẽ anno, in Germaniam redijt, Ratisbonæ aliquamdiu substitit, vbi Iudæis, qui vellent, exuendi Christiani nominis licentiam fecit. Multi igitur ad vomitum rediere. Inde Maguntiaci cum nonnullis principibus pacis consilia tractauit. Anno millesimo nonagesimo octauo in Oriente Christi milites Antiochiam in potestatem, magno cum Persis pugnato prælio, redegerunt, eamque Bohemundo principi tradiderunt. Anno millesimo, nono & nonagesimo, mortem tandem obiit x. Kal. Aprilis Selingerus ex Baronibus Vvolhausianis, nono, quam resignarat Heremitarum administrationem, anno. Iuuentutem, & maiorem vitæ partem ipse varijs regum, & Imperatorum expeditionibus exercuerat, militiaeque famam, & gloriam comparauerat. Postremo rebus Imperij turbulētis, scelere, fraude, sacrilegio, & Ecclesiæ contemptu præualentibus, in Heremum se cum tribus filijs abdidit, cum vxor Heidiug, voluntate simili, & rerum caelestium adfectu pari, Tiguri sanctimonialium regale monasterium ingressa esset. Secū Selingerus quidquid paternæ hæreditatis possidebat Artivilla, Vauilla, Crauoltsuilla, Bonotsvilla, Eglisvilla, Tammerfellæ in heremitarum vsum, & bonum transtulit, capellâ

præterea

præterea Bottenuilla, octauam partem parœciæ Ruodæ, & quartam Ecclesiæ Scebergensis. Præfuerat Monasterio, vt diximus, annos viginti, multa cum prudentia, & æquitate. Corpore denique adfecto, & per ætatem languente, dignitatem egressus erat, & reliquos huc vsque annos, diuinis meditationibus, & ceteris officijs pietatis absumserat. Heiduiq; etiam apud Tigurinas sanctimoniales rerum summæ, singulari cum laude, præfuit. Sita est Vvolhausia, nam quod hoc addere volui, quatinus plures Vvolhausiani barones Heremum illustrarunt, in Lucernensi ditione, quinto decimo circiter ab vrbe milliari, in præfectura Rusuillariensi, quondam arx, & opidum, baronum origo, & sedes, qui longè, lateque, ijs partibus, multa cum dignitate, & opulentia imperitarant. Albertus denique Imper. I. sibi vindicauit. Leopoldus III. dux Austriæ nepos Petro baroni à Thorberg pignori tradidit. Lucernenses, bello Sempacensi, vtrumque opidum, & arcem euertunt, cetera eius iurisdictionis in suam potestatem redegerunt. At verò sacer in Syria exercitus VII. kal. Iunias Hierosolyma cunctis copijs obfidere cepit, & IV. Nonas Iulias incredibili virtute expugnauit, quadragesimo nonagesimo, quam barbari, & infideles post Heraclium Imper. obtinuerant anno. Gotfridus Bulionius, qui primus cum omnium stupore in muros euaserat, rex, cõmunis totius exercitus acclamatione, consalutatus, solemnitate solitâ, cum etiam eundem coronare vellent, non permisit, indignum adferens, & iniquum auream in ea vrbe ferre coronam, in qua Christus liberator tulisset spineam. Eo quo capta sunt Hierosolyma die solem aliquot retrocessisse gradus quidam adnotârunt, prodideruntque. Urbanus pontifex, accepto derebus apud Orientem gestis nuncio, cuius expeditionis auctor, & princeps fuerat, voti compos, & veluti cum Simeone illo precabundus, *Nunc dimitte seruum tuum domine*, lætus & triumphans vitam deposuit. Pascalis II. prius nostri ordinis monachus Cluniacensis, tum verò abbas Romæ SS. LAURENTII & STEPHANI, suffectus, *expetente populo, eligente cle-*

ro, collau-

ro, collaudante Cardinalium senatu, omnibus tertio adclaman-
 mantibus, sanctus Petrus Rainerium, ita vocabatur, virum
 optimum, pontificem elegit, repugnans, & latitans, quod
 tanto oneri humeros suos impares adfirmaret. Ei multo
 prius pontificatum, & pontificatus annos prædixerat Alber-
 tus Alatrinus episcopus. Sub Pascali, haut multo post Vrba-
 num, Clemente adulterino pontifice mortuo, qui Ecclesiam
 indignis modis annos vnum & viginti miseram habuerat,
 schismatici creati pontifices Albertus Atellanus, tum Silue-
 ster, & vtroq; abdicato, Maginulphus. Annum millesimum
 centesimum primū ineuntē Henricus Aquisgrani egit, festo
 trium regum Henricum filium secundo genitum, repudia-
 to Cunrado maiori, Cæsarem, & successorem nominavit, in-
 ungiq; curavit. At Cunradum, alienissimo rei publicæ tem-
 pore, breui postea morbus, an venenum Florentiæ absumsit,
 cum nunquam ab Romani pontificis consilijs, & auctori-
 tate discessisset. Pascalis eodem tempore concilium generale
 in Lateranum edixit in sequentis anni Quadragesimam, eo-
 que Henricum Imper. diutini dissidij tollendi causâ, invita-
 vit, qui se Kalendis Februarij ad futurum promisit. Haut
 multo post, nempe xi. Kal. Iunias defunctus est vitâ, & ab-
 batia Rudolphus I. ex Comitibus Rapersvillanis eximia virtu-
 tis, & quem ob eas Selingerus omnibus præposuerat,
 successoremque nominarat. Lectus omnium
 consensu GERO ex Comitibus Frobur-
 gi, Ludouici Comitis re-
 gentis frater.



GERO